



## C A P U T   X V I I I .

*De Juramento per partes sibi deferendo  
vel referendo.*

§. 228.

**I**n Casibus occultis pars jus habet adversario juramentum, quod res non ita, ac illa afferit, se habeat, deferendi.

§. 229.

Quod si is, cui Juramentum Litis decisum delatum fuerit, Probationem in contrarium pro conscientiæ suæ defensione obtulerit, ad eandem per sententiam admittendus est.

§. 230.

Qui autem probationem in contrarium pro conscientiæ suæ defensione in Processu non obtulerit, per sententiam adstringendus est, ut vel juramentum fuscipiat, vel illud adversario referat, relatum vero juramentum nulla admissa Exceptione fuscipiendum est,

§. 231.

§. 231.

Qui juramentum Litis decisivum suscep-  
rit, quoad circumstantias ab adversario ad-  
ductas in tantum solummodo juramentum præ-  
stare tenetur, in quantum de circumstantiis  
*sciat & recordetur*; circumstantias vero a se  
ipso allatas juramento absolute confirmare  
debet.

§. 232.

Litiganti in propria Causa Juramentum  
Litis decisivum tam super propriis factis,  
quam super alienis deferri potest. Contra  
vero illi, qui non suo sed alterius nomine li-  
tigat, Juramentum litis decisivum super pro-  
priis duntaxat factis deferendum est.

§. 233.

Judex circumstantias juramento firmandas  
exacte præfiniat, & siquidem illæ, super qui-  
bus una Pars alteri Juramentum Litis decisi-  
vum deferre velit, ad rem manifeste non per-  
tineant, easdem omittat.

§. 234.

## §. 234.

Is, quem ad juramentum Litis decisivum vel suscipiendum vel referendum obligari pronunciatum fuerit, si in loco judicij præsto sit, intra 3 dies, ex quo sententia in rem judicatam transierit, vel si sententia in ultima instantia lata fuerit, intra 14 dies a die communicatæ sententiæ numerandas suam ad unum alterunive declarationem judiciscripto exhibere debet, secus juramentum relatum censeatur. A loco Judicij absenti judex Terminum pro ratione distantiæ intentia designet.

## §. 235.

Quodsi declaraverit, se juramentum suscipere, dies juramento præstanto dicatur, quo si juramentum non præstiterit, postea ad illud non admittendus, sed contrarium ejus, quod jurare debuisset, verum habendum est.

## §. 236.

Si vero juramentum retulerit, vel declarationem suam præscripto tempore non porrexerit,

rexerit, pars adversa intra proximos 3. dies adsignationem diei pro præstatione juramenti expresse vel tacite relati petito; indeque die statuto juramentum dicito, secus contrarium ejus, quod jurare debuisset, verum habendum est.

---

## C A P U T XIX

### *De juramento a judice deferendo.*

§. 237.

**S**i alterutra pars super circumstantia gravi, & a qua litis decisio pendeat, probacionem non quidem plenam, sed tamen semiplenam attulerit, & juramentum pro ea Circumstantia confirmanda obtulerit, judex eidem juramentum deferat.